

non exstingveretur domus tua, sed per Mariam filiam tuam in domo tua is nascetur, cujus non est finis: Itemq; in loco parallelo hic fit genuinus sensus: *& stare eum faciam in domo mea usq; in aeternum*, i. e. Semen illud tuum te mortuo ex Maria filia tua olim suscitandum non perire patiar, sed stare faciam in domo illa mea, quam ego per *ἐπέλευσιν* S. Spiritus omnino meam sum facturus usque in aeternum. Sic porro Regnum illud promissum aequae Davidicum ac Divinum (Luc. II. 23. 33.) non est regnum Salomoneum, quod nimis vacillare coepit ipso Salomone vivente ac defecit ex parte primum, ac tandem plane periit in ejus posteris, & in quod regnum Christus nunquam venit: sed est regnum DEI super domo Jacob, quod jam olim in Davide quidem administratum est ex Spiritu quoque, dum domum Jacob jamjam diremtam & ad unionem, & ad verum Dei cultum revocavit, maximopere vero in Christo divinitus ex spiritu administratum & auctum est, ita ut ad domum Jacob recollectam accesserint etiam filii DEI ex gentilibus acciti. Quando igitur dicitur: *Erit Regnum tuum, o David! usque in aeternum ad faciem tuam*, hic est sensus: Quamvis ipse fueris mortuus, nihilominus Regnum tuum super domo Jacob non peribit: Ipse etiam mortuus videbis, domum Jacob non fore sine Rege ex te orituro, qui Rex filius Dei & *Ἰεσὺς Χριστὸς* Christus est. Eandem vim habent caetera, *stare eum faciam in regno meo usq; in aeternum*, i. e. quicquid ipsi continget, Rex erit, Rex manebit, & in aeternum Rex meus erit: quo sensu tandem etiam solium Davidis & solium Seminis ejus unum est, firmum est aeternum est. Ergo hocce de Regno Seminis Davidici aeterno oraculum, non de Salomone, neque de ejus posteris interpretandum erit, utpote cujus regnum in aeternum durasse dici non potest: Regnum enim Israelis jam in filio ejus ita fuit discerptum, ut ne quarta quidem pars ipsi remanserit. Quare liquide constat, aeternitatem hanc omni jure competere soli regno Christi, quod in aeternitatem omnem durare debet,